



Tibi, Lector Amice, totam illam machinationem nostram: Curavimus è cupro fieri vasculum ejus formæ quam in adjecta Fig. 24. num. 1. videre est, fundo D perforato & pedunculo cavo D E insiftens, cujus ima circumdabat pelvis amplior pro aqua desuper effluxura excipienda. Supernè ad A patulum linquebatur orificium breviusculo tubulo, instar laryngis, in cavitate internam hians, sed infernè valvulâ quadam sive capsulâ æneâ, tubulum dictum arctè complexâ instructum, quam in fundo B orbiculo coriaceo eoque inuncto stratam, pinna chalybea C fortiter contrâ hiantem tubuli basin comprimebat, ut hoc pacto ingressus omnis aëri esset denegatus. Filum autem B D capsulæ B infernè alligatum, per foramen fundi medium D in cavitatem fulcri D M E demissum, & per imam